Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36537
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

17

clypei pendent ex ea. videlicet omnis ar
matura fortium. Hac tuba nichilominus
utendum est in festis et conviviis spiritualibus. scilicet
in refectione intuitu. ut reliquie cogitatio
nis diem festum agant domino. et sit in voce ex
ultacionis et confessionis sonus epulantis. in hac
spirituali refectione. Psalmus. Constituite diem sol
lempnem in condensis. Ysaias. Letare ierusalem
et conventum facite. et cetera. Esdras. Sanctus dies
domini est nolite lugere. nolite flere. Ite co
medite pinguia. et bibite mulsum. et cetera.
Honne hac tuba utebantur in festis et convi
viis suis antiqui illi patres quando sic dicitur in
paralipomenon. david et universus israel coram
domino omni virtute psallebant in canticis et
cytharis et psalteriis. in tympanis et cym
balis et tubis. propter quod et ipse david alibi
docet hac tuba uti in festis et conviviis
suis. inquiens. laudate dominum in sono tube.
eo quod in refectione et musicali symphonia
ipse dominus iocundatur sic ait apostolus in apocalipsi.
Sto ad ostium et pulso. si quis aperuerit mihi intra
bo ad eum et cenabo cum illo et ipse mecum.
Predicatores autem comparantur tubis ductilibus
propter extensionem que fit in tunsione. Psalmus.
Sicut crassitudo terre erupta est super terram. Vir
tus in infirmitate perficitur. Psalmus. Iustus ut
palma florebit et cetera. Propter purgationem. Psalmus.
Igne nos examinasti. et cetera. Et propter sono
ritatem quam habent in tribulatione. Psalmus.
Ad dominum cum tribularer clamavi. Actus. Ibant
apostoli gaudentes et cetera. Sancti autem qui superant
carnis affectus comparantur tube cornee propter
duriciam. Paulus. Neque mors neque vita et cetera.
Propter luciditatem. Euangelium. Sic luceat lux vestra
coram hominibus. et cetera. Propter acumen. Paulus. Vivus
est sermo dei et efficax et penetrabilior omni
gladio ancipiti. et cetera. Propter eminentiam.
Gens sancta populus acquisitionis. regale sacerdocium. Propter
directionem ad superiora. Paulus. Nostra autem
conversatio in celis est. Propter rotunditatem
quam sectantur. Nam et si distrahantur per diver
sa. semper tamen redeunt ad superna. et bona que
accipiunt semper attribuunt deo. Sapientia. Ad
locum unde exeunt flumina revertun
tur. Psalmus. Vox tonitrui tui in rota. Propter pug
nam. Machabeorum. Accingimini et estote
filii potentes. Propter stoliditatem quam re
putantur habere. Sapientia. Nos insensati. vitam
illorum estimabamus insaniam. Propter origi
nem. Nam sicut cornu de carne nas
citur et non est caro. sic sancti in carne quidem
sunt super carnem vivunt. Paulus. Vivo ego
iam non ego. Multi quoque insonuerunt
tubis et huiusmodi instrumentis ex quibus multa
milia ceciderunt. Clangentibus siquidem
tubis ut dictum est castra filiorum israel mo
vebantur. clangentibus tubis postquam
in aures multitudinis sonitus increpuit
muri iericho ilico corruerunt. Aioth
ambidexter postquam solus percussit eglon
regem. insonuit bucina in monte ef
fraym. et descenderunt cum eo filii israel.
Gedeon ait quando personuerit tuba. et vos per
circuitum castrorum clangite. quo facto castra
madianitarum sunt perturbata. Ioab cum per
secutus fuisset abner et suos. insonuit bu
cina et tuba. et stetit omnis exercitus eius. nec
persecuti sunt ultra israel. Cum david et uni
versus israel sicut legitur in paralipomenon de
ducerent archa federis domini in iubilo et soni
tu bucine et tube. et pervenissent ad civi
tatem david. mychol filia saul prospici
ens per fenestram david ludentem. despexit
eum in corde suo. Siba filius bochri cecinit
bucina et ait. Non est nobis pars in david.
neque hereditas in filio ysai. et separatus est israel
a david. et secutus est syba filium bochri. sed
postea illi qui habitabant in civitate
abela ad consilium mulieris sapientis
precisum caput sibe proiecerunt ad ioab.
Cum edificata esset domus domini. et sacerdo
tes centum xx. canerent tubis et aliis mul
tis generibus musicorum. domus dei impleta est
nube. Cum machabei et filii israel dixissent
de hostibus suis quomodo poterimus subsistere ante
eos. tubis exclamaverunt voce magna.
et iudas machabeus confortavit eos dicens.
Accingimini et estote filii potentes et cetera.
Postquam iudas et qui cum eo erant audiunt
quod clamor belli hostium ascendit in celum
sicut tuba. dixit exercitui suo. Pugna
te hodie pro fratribus vestris. Et venit post eos et
exclamaverunt in ipsis tubis. et fugierunt
castra tymothei. et percusserunt eos plaga
magna. Cum exercitus regis antiochi et
iude machabei comparaverunt se in prelium
tubis cecinerunt. et elephantis ostenderunt
sanguinem uve. ut acuerent eos in prelium.
et postquam refulsit sol in clypeos aureos.
eleazar frater iude subiit unum de elephan
tis. quem et ipse occidit. et mortuus est ipse
sub eo. Postquam iohannes in apocalipsi. vidit osti
um apertum in celo sic ipse ait. vox prima
quam audivi tamquam tube loquentis mecum.
dicens. Ascende huc et ostendam tibi que opor
tet fieri cito. Unde et ipse statim fuit in spiritu.
et vidit visiones magnas. In multis et
locis in apocalipsi angeli leguntur tubis ceci
nisse. ex quibus et maxima pervenerunt. Apocalipsis.
Cum aperuisset sigillum septimum. factum est silen
tium in celo quasi media hora. et vidi septem
angelos stantes. et date sunt illis septem
tube. preparaveruntque se ut tuba canerent.
et postea prosequitur quomodo quilibet angelus
tuba cecinit et quid accidit ex eo dicens.

Cur predicatores comparantur tubis duc tilibus et cetera.

Exempla eorum qui usi sunt tubis et huiusmodi instrumentis ex quibus diversa acciderunt.